

quàm in statu normali, nunquam ut in *C. pectinata* nostrâ ferè filiformia et tenuitè divisa, laciniis elongatis linearibus (ferè ut in *Coreopsis tinctoria* Hort.) videntur.

OBS. *C. succulenta* Ait. et *C. pectinata* nob: genus *Tolpidem* cum *Crepide* arctissimè conjungunt.

40. *Crepis macrorrhiza*, *Prodr. MS.*

*C. glaberrima*: radice perenni, crassâ, carnosâ: caulis solidis, foliatis, simplicibus, supernè paniculatis: foliis omnibus indivisis, oblongis, dentatis, sessilibus, nitidis, sub-carnoso-coriaceis: panicula largâ, multiflora; pedunculis supernè sub-incrassatis, squamosis; anthodiis subfarinoso-pubescentibus.

*Crepis macrorrhiza*, *Herb. Banks*: et *Sol. MSS!* *Hook. in Bot. Mag. t. 2988!*

Hab. in Maderæ rupibus.

41. *Crepis? andryaloides*, *Prodr. MS.*

*C?* glanduloso-hispida: radice carnosa, bienni: caule sub-fistuloso, foliato, simplici, supernè laxè paniculato, hispido: foliis omnibus indivisis, oblongis, acuminatis, undulatis, remotè runcinato-dentatis, subsinuatis, sessilibus, hispidis: floribus laxè paniculatis, remotis: pedunculis nudis, gracilibus, divaricatis, laxis, anthodiisque cylindricis, glanduloso-hirsutissimis: involucro erecto, persistente.

Hab. in convallibus Maderæ.

Semina matura non vidi; pappus in immaturo reverè sessilis: sed cum in veris quibusdam *Borkhausie* speciebus pappus in semine immaturo omnino sessilem vel subsessilem videre licet, in nostrâ forsitan plantâ pappus seminis maturi stipitatus evadit.

GEN. BORKHAUSIA, *Böhm. Spr.*

42. *Borkhausia laciniata*, *Prodr. MS.*

*B.* radice annuâ: caule erecto, stricto, ramoso, paniculato, subpuberulo, nitido: foliis laciniato-pinnatifidis, vel runcinato-dentatis, sinu-